

Lorenz Bodock

**Vice-Decanus Et Senior Collegii Philosophici, In Alma Universitate Rostochiensi
Laurentius Bodock, Ph. I.U.D. ... Suo, & totius Amplissimi Philosophorum Ordinis
nomine Ad Exequias Spectabilis Facultatis Philosophicae Decani ... Dn. M.
Andreae Tscherningii, Professoris Poeseos ... Quas ... Viduaq[ue] moestissima,
cum tristissimis liberis ... paratas cupit. Omnes Academiae Cives peramanter
invitat**


Rostochi[i]: Kilius, 1659


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777418509>

Druck Freier  Zugang



Bodock, L.,
in A. Tscherning.
Rostoch. 1659.





VICE-DECANUS
ET SENIOR COLLEGII
PHILOSOPHICI, IN ALMA UNI-
VERSITATE ROSTOCHIENSI
LAURENTIUS BODOCK,

P.h. J.U.D. Celsissimi Princip. & Ducis
Mecklenburgici Consiliarius, Orator Aca-
dem. Publicus.

Suo, & totius Amplissimi Philosopho-
rum Ordinis nomine

AD EXEQVIAS
SPECTABILIS FACULTATIS PHILOSO-
PHICÆ DECANI

VIRI CLARISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI

DN. M. ANDREÆ

TSCHERNINGII,

Oratoris Poeseos undiquaq; celebra-
tissimi, Collegæ desideratissimi

Quas

et clarissima Matrona Viduaq; moestissima,
cum tristissimis liberis, in Templo Jacobæo, ad
horam primam, paratas cupit.

Omnes Academiae Cives peramanter invitat.

Rostochi, Typis Hæredum NICOLAI KILM, Acad. Typ. 1659.



ma



Eheu! nil sub hoc Sole tam stabile quivis experitur, quod non ad fatalem suum terminum celerrimè decurrat. *Omnia quippe orta, (ait sapiens Romanus) occidunt, Et aucta senescunt.* Adeoq; ut nihil tam ab arte elaboratum, tam à curâ industriâq; perfectum, tam ab ingenio perpolitum, adeo magnum aut nobile, ac securis firmatum radicibus inveniatur, in quod Factorum violentia non valeat, quod non tandem tacito annorum decursu ac vetustate intereat. Et quid jam de omnium creaturarum Principe dicam? Hoc quidem, mehercule, nil speciosius à DEO OPT. MAX. conditum Soli unquam aspexit; in quo sparsas ac disseminatas per omnem mundum dotes suas eximias natura collegit, & quem erectum ad cœli conspectum, Supremum Numen colere, resq; cæteras, in hoc Orbe moderari voluit. Ni hilominus tamen & ille prohi dolor breviter temporis intervallo in sui rui nam ociissimè maturat. Cui nil à naturâ & primis unguiculis magis insitum inditum que, quam ut aliquâ moriendi necessitate de mediò, collatur. Nulla scilicet morti est mera, nulla tam ferrea aut fera ætas quæ non durum suum caput, necessitatis isti telo submittet. Nihil sub Sole certius, magisque cum humanitate conjunctum, quam ut caduci corporis liberati ergastulò, fatali aliquando mortis peste abripiamur. Serius, ocyus, vitæ nostræ terminus appropinquat; morti denique obtemperandum; nec quidquam in illâ tergiverlandum arenâ, in quâ suis mors armata venenis, lethale nobis propinat poculum. Irrevocabile & immutabile est Fatum. Non juvena florida, non pubescentes genæ, non lanugo vernans, non sanguinis animiq; firmitas, lethi falcem avertunt. Non senium triste, non capitis canities, non ruga frontis, non *Catonis* supercilium, non *Maronis* suavitas, non *Demosthenis* facundia, non *Ciceronis* lepos, non *Syllæ* felicitas, non *Cræsi* opulentia, non *Alexandri* fortitudo, non *Milonis* robur, non *Paridis* formositas, non omnis eruditionis Majestas improvisos Factorum ictus declinat. Cujus rei evidens satis documentum nobis, non sine luctuoso spectaculo, hodiernâ die statuit ob oculos. Flos Virorum, vegetæ ornamentum ætatis, lu-

men

men. Academiae hujus, corculum amicorum, DN. ANDREAS TSCHER-
NINGIUS, Poeseos Professor in hac Universitate, Poeta hoc seculo
famigeratissimus; quem, tot animi dotibus resplendentem rer & am-
plius crudelis Libitina sustulit, quem de sublimi famae fastigio, in feralem
suam potestatem dejectum, in communem aliorum mortalium sortem
redegit: & qui certe non clausisset in mortem dies vitae suae, si vel gene-
ri honestas, vel quae his anteit Virtus, vel quidquam aliud humanae fe-
licitatis ambitu comprehensum, ab hac sorte & tributo, immunem
quempiam praestarent. Cujus jam luctuosissimum obitum, justissimis
querelis prosequi, tantoque acerbius ad animum admittere deberemus,
quanto exactius agnoscimus, Magnam esse Reipublicae cladem quando
illustrium sapientiae Scientiarumque Sacrorum fundamenta (in-
ter quae piissime defunctum connumeramus) Fatorum temporumque
acerbitate convelluntur; nullamque bonorum jacturam tam acerbam,
nullam Fortunarum direptionem tam gravem atque atrocem esse posse,
quam Virorum doctissimorum, (in quorum caetero non postremus pia
memoriae denatus vixit) quibus publica & privata felicitas, tanquam
nervis & vinculis cohaeret, fatalem ruinam. Sed quia nos decet in pu-
blica hac tristitia mentes nostras colligere & ad Divini Numinis voluntate
tem, qua quidquid factum evenit, componere; quia nobis competit,
arcana DEI (qui vitam mortemque omnium hominum pro arbitrio dis-
pensat) consilia, non mutare & corrigere, quod nefandum esset flagiti-
um) verum animo non reluctante ac placidissimo ferre, frena injicia-
mus quanquam non iniquo, cordium nostrorum mœrori, & alio, justio-
rique officiorum funeralium genere, manes beatissimi nostri TSCHER-
NINGII, (qui in hisce terris retinebit)

Monumentum aere perennius

Regaliq; situ pyramidum altius.

id est praestantissimae virtutis, ac immortalem sinceræ pietatis gloriam)
honoraturi, memoriam illius obsequiosâ mente gratoque ore prædica-
mus, & optime de hac Academia, Reque literaria meriti Collegæ Virtu-
tem, posteritati commendemus; ne nimirum prælustrem illius in Vir-
tute gloriam, nostrâ emori negligentia permittamus. Qui (ut curricu-
lum Vitæ ejus, quod ipse, ante obitum, memor temperative suæ morta-
litate, propria dexterâ consignavit, hic verbo tenus exprimam.)

Editus in lucem est Anno cId Idc XI. d. XVIII. Novembris, in ca-
nabula nactus BOLESLAVIAM Silesorum fecundam magnorum
& eruditissimorum virorum genitricem. De qua OPITIUS
pater ejusdem oppidi filius verè atq; eleganter:

Bolesla grande SLESIAE decus nostræ
Et hortulorum fontiumq; amcenorum
Nec non virorum facta alumna doctorum
Quos censeat fors, non recenseat quisquam.

Patrem habuit Andream Tscherningium virum honestissi-
mi nominis. Matrem Margaritam Ruthardiam integerrimam
famae & rarissimi exempli feminam. Avum paternum
sortitus fuit Casparem Tscherningium Civem Boleslaviensem
spectatissimum, qui anno cId Idc XXII. d. XV. Junii, cum
septuagesimum tertium aetatis annum ageret, grande mortalis
evi spatium, repentino morbi genere oppresso exspiravit. Qua-
le magnum illum Casparem sibi exoptasse, Suetoniusq; refert. Sed
erat ille paganus. Quanquam nec apud Christianos quoq; re-
pentinis mortibus quicquã inesse vitii potest, nisi quatenus im-
paratos aut malè agentes opprimunt: Aviam Paternam Ursu-
lam Albrechtinam matronam quae pietate ac probitate animi, ut
& innocentia morum ac sanctitate, quam paucas omnino ha-
buit pares. Quae verò anno cId Idc XXII. d. 2. Junii placidissimo
obitu vitam cum morte cõmutavit. Avum maternum nactus est
Andream Ruthardum virum antiquae fidei & simplicitatis;
Aviam maternam Annam Teichleriam sedecim liberorum
matrem, matronam sine omni nota & fabula. His natus paren-
tibus, inter perpetua pietatis juxta & honestatis studia adole-
vit feliciter: Literis maturè traditus, & initiatus in schola pa-
triam est: Cum anno cId Idc XXX. integrum non esset manere in
patria, & orthodoxam profiteri religionem, wegen der Päbstl.
und Keyserlichen Seeligmacher, uti quidem audire volebant,
is patriamq; pariterq; relinquitur quam quotidie

inset

inter veritatis hostes, de sua salute periclitari, dum illud tene-
ret, quò cœlum & æternitatem liceret lucrari. Sic factum, ut
fretus divino auxilio, unâ cum duobus commilitonibus Gorli-
ciam Lusatia se conferret. Quâ in urbe cum exul, vix pedem
posuisset, ejus fidei ac institutioni commissi sunt illicò, libera-
toris Reipub. oppidana Francisci Beveri, viri consulti, sci-
mi & antiquæ fidei. Ita nunquam deserit Deus, qui in se, suas
spes unice ponunt. Gratulatus sibi præcipuè de Rectore istius Gy-
mnasii Elia Kùchlero, viro summo & celeberrimo, quem ut
Præceptorem colebat, ut parentem reverebatur. Postea à Pa-
rentibus domum revocatus, Vratislaviam (qua metropolis Sê-
lesia, & omnium Germanicarum urbium pulcherrima & niti-
dissima) studendi gratia amandatus est; quam patriam alte-
ram appellare semper est solitus, ob beneficia, qua in ipsum con-
tulisset, quamplurima. Anno cld. lcc. XXXV. die octavo Maji,
cum aliquos in literatura humaniori fecisset profectus, quibus
ad sapientia studia par amur. Rostochium concessit, ubi clarissi-
mos viros sibi adjunxit, à quorum scilicet ore frequentissimè
penderet. Ob rem paulò arctiorem in patriam tandem redire
coactus, quibusdâ ingenuis pueris ex primaria Vratislavi-
ensium nobilitate, præfectus morum ac studiorum datus est.
Quâ occasione cum viris præcipuis hujus urbis innotuisset, fa-
ctum est, ut ipsum luculentò congiario instruerent & in Acade-
miam denuè mitterent. Consilio igitur Mæcenatum, imprimis
MATTHEI APELLIS, Duorum Cesarum, totidemq; Principum
Silesiorum Consiliarii nunquam satis laudandi, Rostochium
reversus, anno cld. lcc. XLIV. die XII. Maji Brabentâ Magistrò
Job. Huswedelio, at quanto viro! Magisterii Philosphici lau-
reâ coronatus est publicè. die XVI. Maji ejusdem anni in ipsum
Professorum Ducalium Collegium, honorumq; ac dignitatum,
qua illum ordinem comitari solent, consocium cooperatus est.

Quæritur officium primum, post quæritur uxor.

Conjugem

Conjugem igitur duxit Lubeca Simonis Hinzii Advocati & Notarii Publici immatriculati, ut vocant, prudentissimi integerrimiq; Viduam: Joannis Marfilii, Canonici Lubecensis & Capituli Senioris optimè meriti filiam. Cum quâ tanta conjunctione atq; concordia vixit, quanta unquam in animos potest cadere feliciorè invicem, & meliorè, ut sic loquamur syd. copulatos. Adeoq; ut de ipsis verum quod Poeta ait.


VELLE ac NOLLE ambobus id. m.

Suscepit ex eâ filium unum sibi cognominem, & filiam unam Annam Catharinam, ut patris sui fatum deploret. Illum quidem natum anno c. l. l. c. XLV. d. XXV. Decembris circa meridiem noctis hora duodecima, hanc anno c. l. l. c. XLV. II. d. XI. Junii. Rectoratus dignitas semel ad ipsam devoluta fuit, Decanatus aliquoties. De praelectionibus publicis & collegiis privatis judicent alii. Docuit publicè, quoties per valetudinem licuit. In publicum autem egredi & de mandati officii partibus fungi ob eandem adversam minimè interdum potuit: Quidquid verò publicè forsàn neglectum fuit, affatim domi res arsit, editis scriptis (quae in multorum manibus sunt,) sermone tam soluto quam ligato variis. Deus Opt. Max. in extremo mortis agone Spiritu solatii clementissimè adsit, ut minimè hunc vitam ita claudam, quò siam particeps melioris illius vitae, quae finem non habet; Idem misereatur & Meorum, eosq; Spiritu suo ducat ac regat, ut timeant ipsum & super omnia diligant. Huc usq; religiosa, devotissimè defuncti, nostriq; Collegae dilectissimi, DN. M. TSCHERNINGII manus perrexerit. Quem tantâ modestiâ Virum, tam præclarâ fide, tam antiquâ simplicitate ac virtute, quis unquam in vitâ exprimat? In quò nemo bilem ac saluginem animadvertit, nemo ingenii arrogantiam, invidiam, calumniam, aut venenum aliquod perversa mentis invenit. Qui verà DEum pietate, obsequio, reverentiâ prosequatur. Qui in proximum, Collegasq; benevolus, propensus, officiosus erat. In quò, non sedem superbia, non pedem posuerat audacia: Cujus totum hercule: animum, morum simplicitas, mentis candor

candor, fides integra, & quiras juncta cum amicitia inuaserant. Qui odium & iram, saltem aduersus istos homines, usq; ad extremum vite terminum, in suo pectore foverat, qui aut nimia honorum ambitione flagrarent, aut insatiabili diuitiarum cupidine inardent. Qui juratos Dei hostes, naturæ opprobria, terræ onera, humani generis excrementa censebat eos, qui sua negligentes, aliena cum omni industria curant & domi rursus pessimi mortalium, foris, supra miluinam aciem prospiciunt. In cujus spaciouissimum prædicandarum virtutum & quor, nolo me profundius immittere, neque scribendo ulteriorem concinnare oram. Brevibus itaq; rem absolvens, talis piissimè denatus erat, ut in ejus pectore Honestas, pietas animi, candor, erga omnes Collegas, non pictus nec fictus amor, alizq; complures Virtutes, velut in delubro ac Sacrariò aliquò domicilium posuisse viderentur. Qui (testante Viro Excellentissimo, Experientis. DN. JOHANNE BACMEISTERO, Medicina Doctore, Professore Physicoq; Reipublicæ celeberrimo, Collegæ & amico nostro dilectissimo) ante triennium languescere ac de variis corporis incommodis conqueri incæperat; quanquam verò morbus remittere polliceriq; meliora interdum videretur; resumente at tamen, intendenteq; vires suas priori infirmitate, ante aliquot Septimanas, tantam pedum totiusq; abdominis intumescentiam, tantam respirandi difficultatem, tantam deniq; omnium membrorum lassitudinem, tensivumq; pedum dolorem contraxit, ut vix de loco in locum, appetitu planè prostratò, amplius semet movere poterit. *Qua omnia Scorbutum, (ut refert prædictus Dn. Medicus) malum plurimum familiarissimum, firmissimas in eodem egisse radices, & totalem Viscerum introduxisse corruptionem satis luculenter demonstrabant.* Quanquam verò piensimè mortuus DN. TSCHERNINGIUS, inter privatos alias parietes, ob imbecillitatem virium, latitans, nunquam devotorum Christi cultorum publicos conventus, sacrasq; Conciones neglexerit; elapsò at tamen Dominico die, & quidem Vespertino tempore, circa quintam horam, extremo ferme morbo correptus, vix duabus post horis elapsis, ad lectum semet lethalem conferre debuit. Sequenti porro die, Medicum equidem DN. BACMEISTERUM ad se advocari curas, ab eodem medicamenta fideliter exhibita usurpavit. Sed simul ac in ultimà suà ægritudine animadvertit, sanitatis recuperandæ Spem decollasse, protinus mentem suam flexit, ad summum illum ac Benignissimum Deum, & à Reverendo plurimum

num Excellentissimo Dn. JOHANNE QVISTORPIO, S. S. Th. D. & Prof.
meritissimo, Dn. Collegâ & Amico honoratissimo, Sacramentum cor-
poris & Sanguinis Salvatoris nostri CHRISTI JESU ardentissime deside-
rans; illud ipsû devotissime peccata sua confessus, ab eodem, circa ho-
ram quartam vespertinam impetravit. Deniq; sanctissimas preces & su-
spira, è religiofissimo suo effundens pectore, omniaq; sensa in miseri-
cordiâ DEI, in meritò & satisfactione Servatoris nostri dengeas; quæ
unicè sperabat & loquebatur, suo Redemptori, animam suam reddidit,
quasiq; placidissimo sopitus somno, relinquens concretum & mortale
corpus, nactus liberum cœlum, suavissimo secessu, postquam hic vi-
vendo, ætatem Annorum XLVIII. exceptis septem mensibus & tribus
diebus explevisset, in illam sempiternam domum, in illud beatissima-
rum mentium Collegium, hora 10. nocturnâ, in præsentia Dn. D. QVIS-
TORPII & aliorum emigravit; & exindè moestissimæ viduæ, afflictissi-
mis liberis, nobisq; omnibus, nihil aliud) quàm luctum ingentem suiq;
desiderium reliquit. Ita ut nil ulterius restet, nisi ut corpus ejus, diverfo-
rium olim piissimæ ac eruditissimæ animæ, Sepulchro Philosophicæ Fa-
cultatis in Aede Jacobæâ, ossibus Professorum sacro recondatur.
Quod dum hodiè circa horam primam, in templo Jacobæo fieri debe-
bit. Itè obsecro, Honestissimi Academiae Cives, splendidissimâ solenni-
tate denato DECANO ac Professore facultatis Philosophicæ laudatissi-
mo, elatumq; funus honorificâ præsentia cohonestantes, immortalis e-
jus, quam suâ Virtute & Eruditione promeruit, recordationi supremum
observantiæ monumentum dicite. Ut autem id promptissimo animo
faciatis. Rogat honoratissima & cum lachrymis in profundum jam
mœroris redacta Vidua! obsecrant afflicti liberi ac amici. Imperat
commune & ineluctabile necessitatis telum, quò urgente (solus verò
Deus novit, quando? ubi? quomodo) denatum nostrum optimumquè
Collegam sequemur. Nos verò Vos Academicæ Cives amicissime ora-
mus ut qui vivum cultu & amore prosequuti estis, eum è vitâ hæc egres-
sum, sinè præsentia & frequenti confluxu transmittere, religionem esse,
magnumq; piaculum, pro vestrà pietate, judicetis. Ad extremum, uti
Nobis, ita & Vobis animitus vovemus; ut post hæc putridæ mortalita-
tis tot tædia ac miseras, tandem æternum illud in cœlis cum CHRISTO
TSCHERNINGIOQVE gaudium possideamus. P. P. Sub Sigillo Deca-
natus die 30. Septembris Anno M. DC. LIX.

*Conventus fiet in templo Jacobæo ad ho-
ram primam.*





Quod terra eruitur, solidum mihi riser
In quantum Lunam formosus Cynthius
Exuperat pretio numerosos aris acervos.
Fulgorem aspicias, aurum venerabile don
Concinna & formosa facit turpissima vi
Non secus ac cestus, quem cantavere Poeta
Deficiant tabulae, massa est formosior auri
Quam quicquid Phidias, aut dextera pin
Non sani esse hominis, non sanus juret O
Et Medici ingeminant crispanti nare cach
Si quis praesumat sine nervis tendere gre
Res eadem bellis; animam motumque da
Nescierit Princeps veram discernere laude
Quisquis opinatur complese per omnia p
Si quocumque modo, quavis rem fecerit a
Sordidus, ut patriam tueatur equisque vi
Queis conscribendis quadrantem impend
Aurum deficiat, nequicquam bella move
Aurum bella gerit, mucronibus imperat
Pugna argentatis frameis, atque omnia v
Quid majestatem sine viribus esse putat
Vis belli socios, aut fortes Martis alumno
Aurum cuncta dabit. Sit inexpugnabile
Protinus haec omnes cataraectas machina
Qua gestans aurum penetrare valebit ase
Tam clausum nihil est, quod non vis occ
Oppida sic cepit sua callidus emtor Olynt
Quando Pellexo libertas concidit auro.

A3

